



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pia Desideria

Hugo, Hermann

Mediolani, 1634

IV. Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Psal. 118.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43734



Veni dilecte mi, egrediamur in agrum,
commoremur in villis. Cantic. 7

G. Blaucous fecit.

22.

Co
L
Cer
S
Ho
L
Ser
V
Tri
P
Et p
Q
Asp
A
Et l
S
Cur
D
Plur

I V.

Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim
tuis timui. *Psalms. 118.*

Littera prima rudi quondã inculcata iuuenta,
Fertur ab antiquis, Numinis esse *Timor* :
Certaque non alia Sapiencia discitur arte
Si qua fides verbis, Nate *Dauid*, tuis :
Hoc quoque nostra fuit formata puertia ludo,
Docta que sidereas mens trepidare minas.
Semper at heu ! tantis stupuit mens cœca tenebris,
Ut neque, quod toties audiit, *Alpha* sciat.
Tristibus *Orbili* plectenda ignavia sceptris,
Post male tot positos, nil didicisse, dies !
Et pueri ferulis segnes *Elementa* docentur,
Quæ leuis assequitur sedulitate labor ;
Aspiciunt nigras *Cadmi* bis, terue puellas,
Aspectasque vocant, nomine quamque suo.
Et licet atratio sit par color omnibus ore,
Signa tamen faciem propria quamque notant.
Cur ego quod teneris *Infantia* combibit annis,
Discere non etiam tempore posse putem ?
Plurima sunt, nullo penitus mihi docta *Magistro*,
H Cur

Cur disci nequeat, arte iuuant, Timor?
 Ah pudet! en timeo, quæ contempsisse decebat;
 Non timeo iustos quæ meruere metus.
 Flagitium, minimo timeo committere teste,
 Non timeo facinus, teste patrare Deo.
 Ne corpus perimant, metuo de nocte latrones,
 Nil metuens Anima certa pericla mea.
 Nempe fugit picta sic passer imagine larua,
 Illita cui visco virga timenda fuit.
 Sic tremit aspecta ceruus formidine penna;
 Nec tremit obstantes, agmina rauca canes;
 Sic quoque, Marmarica trepidat leo terror arena,
 Et cadit in tensas, territus igne plagas.
 Heu premit humanas furor hic caligine mentes;
 Fulgetras metuunt, fulmina nulla pauent.
 Subicitur pedibus nigri metus omnis Auerni,
 Creditur & stygijs fabula ficta foci.
 Scilicet, abiecto leue fit scelus omne timore,
 Sed grauis insequitur pœna Timore, scelus.
 Flagitijs demum incipiunt trepidare peractis,
 Ante scelus, nullus pectora terror habet.
 Tum pauor heu madidis mentem sudoribus angit,
 Et læsi ante oculos Numinis ira redit.
 Tum subitus straro vigiles Timor excutit artus,
 Propria tum vacuos terret imago choros.
 Si strepitum moti dederit mus stramine lecti,

Creditur è syluis exiluisse leo.

Nocte leuis quassa si murmuret arbore ventus,

Horrescunt rigida, fronde sonante, coma,

Quid faciant, subitis si fulminet ignibus aether,

Aut sonet aethereo grandior axe fragor?

Pectora caelesti stupeant percussa tumultu

Et flamma metuant dissiliente peti.

Tunc terrent auræ, tunc terrent scilicet vmbrae,

Augurioque notant omnia signa necem.

Quin etiam nemorum nocturna silentia terrent,

Ipsaque se fontem mens furiosa timet.

En quantum miseris poena, mens conscia donat?

Ipse in sese animus verbera tortor agit.

Heu quoties stygij, turbato in Casare, manes;

Phaer salici quoties emicui stis agri!

Saeue Patris vindex, furijs agitaris; Oreste,

Vmbra trucidatae viua Parentis erat.

Mæste colubriferæ Pentheu laniaris Erynni,

Vindicat hoc lesos verbere Diua Deos.

Nulla reos animos agit magè dura Tirannis,

Quàm testem assiduè pectore ferre suum.

O Deus! o confige tuo mihi corda timore?

Ne peccem, furor hac cusvide noſter eget.

Vtilis ante scelus Timor est qui frena gubernet,

Qui timet, admissio crimine serò timet.

BERNARDVS

Serm. 29.

PRudenter sagittari & impugnari salubriter postulat sanctus cum dicit in oratione: *Confige timore tuo carnes meas.* Optima *Timor* est sagitta, qui conficit, & interficit carnis desideria, vt spiritus saluus sit.

Auerte

i-
e:
or
i-